UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

**Caraffa, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1660**

Prototypum nostri amoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

# CONSIDERATIO IX.

## AMOR DEI,

### *Prototypum noſtri amoris.*

DEUS in ſe nunquam eſt otioſus, ſed ſemper operatur. Cognoſcendo & amando ſeipſum, generat Verbum, & ſpirat Spiritum Sanctum. Tres divinæ Perſonæ in ſtatu feliciſſimo ac beatiſſimo vivunt, in immenſo & infinito gaudio. Lætantur ſuis perfectionibus increatis, creatis, & creabilibus. Talis eſt amor Dei: Similis ei debet eſſe noſter. Intus ne ſit otioſa; ſed quantum poteſt occupetur ſemper anima. 1. in cognitione, & altiſſima æſtimatione Dei: 2. ex hac profundæ cognitionis procedat ignis Sancti Amoris: 3. Amori conjungatur gaudium, quo gaudeamus & lætemur Deo perfectionibus Dei, & ipſamet gaudio Dei. Gaudium Dei ſit noſtrum gaudium: felicitas Dei, noſtra felicitas: beatitudo, & omne bonum Dei, ſit beatitudo, & omne bonum noſtrum.

Intra igitur, anima, in infinitam abyſſum luminis cognitionis increatæ Dei: & ibi diſce Deum cognoſcere. Penetra in illud incendium infinitum amoris Dei; & videbis quomodo, & quantum debeas amare Deum. Immergere in immenſum illum Oceanum dilectionis, & gaudij Dei; & nota quomodo debeas delectari in Deo. Diſce à Deo, quomodo ames Deum: ama Deum ſicut Deus: ama ſemper, ama conſtanter, ama Deum & omnia propter Deum.

O prototypum divinum Amoris increati Dei, amoris immenſi, amoris infiniti, amoris æterni! Ah unum radium tui Solis, unam ſcintillam grandis illius fornacis, unam guttam illius maris immenſi; & ſufficit mihi. Da quod jubes, & jube quod vis. Jubes ut amem te: da mihi amorem, quo amem te.